

FK.153

126

IIc  
1202

de Primitiis  
in Sacrificiis.  
Peter.

AKT 9865

In Nomine Dei !  
*Fusſu & autoritate*  
*VIRI*

*Maxime Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi*  
*DOMINI*

# ORTHOLPHI NEUNESII.

SS. Theolog. Doctoris longè celeberrimi, Ecclesiæ  
Scholæque Lutheranæ in patria Inspectoris  
gravissimi

*ad audiendas quinque Discipulorum*  
**ORATIONES VALEDICTORIAS**

Omnes

Religionis ejusdem Proceres  
literarumque Fautores

qua decet,

*Submissione & Observantia invitat simulq;*  
*de Primitiis differit*

**JOH. SEBAST. Wigand / Scholæ Luth. Rector.**

SCHMALKALDIÆ

Impressit GEORGius HEINRICUS Oppermann.





**P**rimitarum quanta priscis temporibus fuerit existimatio, & quam longè supra communem rerum sortem evecta dignitas, scriptorum tum sacrorum tum profanorum monumenta legentibus satis superq; exponunt. Easdem nimirum sanctissimo sibi Numine toties (*Exod. XXIII, 19. Num. XV, 20. Lev. XXIII, &c.*) vendicante, nefas inter Judæos habebatur, aliis quam sacris usibus collocari, quorum alioquin studior hac gente vix illa legitur. Neq; in quibusdam saltem, sed omnibus terræ fructibus, dummodo ad humanæ vitæ sustentationem facerent, religiosus iste segregandi mos obtinuit, quem *oblationis magne appellationem* exinde haud imerito traxisse probat ex Maimon. *Schikard. in jure Regio p. 271.* Et licet divinitus præscriptam quantitatatem non habuerit, infra tamen partem sexagesimā obtulisse placitis & præceptionibus Doctorum supra modum sollicitis, prorsus verò omisisse gravissimis ipsius Dei constitutis derrogabat. Quemadmodū autem, ut in causas hujusce ritus curiosius inquiramus, instituti ratio non permittit, ita num peculiari & connatæ cuidam virtuti huc primitium praestantia debetur, penitus excutiendum iis committimus, qui abstrusas naturæ dotes aut per eximiam ingenii vim, aut negotiorum rationem facilius feliciusq; indagant. Quod Judæorum sacra, eorumque Antistites his ipsis quasi fulcris niti & conservari ipse Deus voluerit, nemo nisi codicis cultusque divini imperitissimus ibit inficias. Sic quoq; veneratio sui primitiis inter homines gentiles longissimè licet à vero Deo atque necessaria ejusdem notitia remotos adeò constitit, ut, num hic plus superstitionis, quam pietatis & religionis illic fuerit, vix discernat perspicacissimus. *Prisci Romani non gustabant vina aut novas fruges priusquam Sacerdotes primitias libassent, inquit Plin. lib. 18. c. 2.* Ad Numam Pom-pilium ritus hujus originem refert *Alexand. ab Alexand. l. 3. Gen. c. 12.* quem Deos fruge coli & mola salsa supplicari instituisse, molamq; ex farre, sale & aqua composuisse perhibet. Græcis quoq; ceremoniam hanc fuisse familiarissimam idem l.c. testis est, *qui non solum hordei primitias offerre consueverant, sed illi quoq; qui primitias colligebat, crithologo dixerunt nomen.* Cereri in primis frugum primitias, noyum verò vinum Bacho dicabant, nec nisi ritè à sacrorum custodibus libatis utendum fuit. Adhæc sacrificii hujus dignitatem haud parum arguit, quod Apollini Delio per virgines lectissimas frugum primitias missitaverint, & Æneas spolia Mezentio detracta primitiarum instar Marti *sacra voluerit, Dempst. in Annotat. ad Rosin. Antiq. cap. 7, l. 2, Virg. lib. IX, 16,*

Ea

Ea scilicet Satanæ est malitia, ut non cornibus semper obver-  
sis invehat, sed furore ut plurimum tectō ad fraudes se componat, haud  
ignarus, calliditate plures posse decipi, quam vi apertā opprimi. Hinc  
jam pridem sanctitatis fuso tantopere delectatum deprehendimus, ut si-  
miae instar, quas Judæis diligentissimè observandas injunxerat Deus, man-  
cipiis suis mira quadam arte imitandas objiceret ceremonias. Suas habe-  
bant aras, cædebant victimas, oracula consulebant, ignem colebant æter-  
num, sexcentisq; aliis δεινοδαυονίαι subinde incrustataī ad posteros trans-  
mittebant. Quanquam nec desunt, qui diversum hac in parte sentientes  
probatissimos Judæorum ritus, cælestēm q; redolentes ordinationem à  
Syris & Ægyptiis derivatum eunt, quasi iis leviter mutatis atq; emendatis  
gentem hanc insuperstitionem effusō semper prorumpentem cursu cle-  
mentissimū Numen revocare voluisset. Quorum tamen sententiā in divi-  
nam sapientiam omnino injuriam legas explosam apud Excell. Dn. Carpz.  
in not. ad Schik. I. R. p. 44. seq. Obesæ certè naris foret, qui ut reliqua omnia  
taceamus, fabulam de Iphigenia ex Historia Jephthæ profluxisse, cum  
Vossio lib. I. de Idol. c. 23. p. 176. animadvertere nequeat, quam æquè ac lauda-  
tum jam primitiarum cultum Prometheus iste stygius subtractam suam  
fecisse credendus est. Ceremoniarum nos jugo, Deo ita volente, liberati  
de sacrificio hoc ritè perficiendo licet animi anxii amplius non simus, ha-  
bemus tamen, quæ aut pari aut meliore jure eidem debentur. Precum e-  
quidem assiduarum summa est necessitas, sive ingruentes horreas tempesta-  
tes, sive ad clementissimi Numinis voluntatē ac nutum respicias, ut, quic-  
quid erat sacrificiorum, his comprehendi videri possit, nisi religiosam libe-  
rorum ab ineunte ætate Deo factam consecrationem ad primitiarum na-  
turam proprius accedere, jam dudum ab aliis observatum esset. Quemad-  
modum enim istæ sacræ semel destinatæ, profanis rebus impiè serviebant,  
sic hos à suis arceri amplexibus Christus ipse severissimè interdixit. Non  
possunt non in deliciis Deo esse infantes, in quibus Ecclesiam ad incitas re-  
dactam toties ab interitu vindicavit, quoties diaboli fraudibus & corru-  
ptelis religionis sanctitate vitiatâ turbatoribus classica canere propositū  
fuit. Quid mirum, si etiamnum tam solerter liberorum curam agere sa-  
cræ testantur literæ, ut custodibus constitutis atrocissimos Satanæ insul-  
tus sufflaminet, ne primo statim impetu, quæ in his super est, pietatis spem  
in herba quasi suffocet? Verum enim verò, quanta quanta sit eorundem  
imunitas, veteroris tamen infernalis machinationib⁹ obstatre non potest,  
quin majori indies furore in insontes grassetur. Parentum modò fidem  
tentat incuriā, modò Præceptorum industriam fatigat puerorum pervica-  
ciā, modò pravorum subornat consortia, neq; in ætate hac per se maximè  
lubrica & fluxa illaqueanda, & per præcipitia tandem deturbanda, quic-  
quam in expertum omittit. Hinc proh dolor sæpe numero evenit, ut non  
Deo imortalī, sed vanissimis paganorū Numinibus, non virtuti artibusq;  
): ( 2 huma-



FK IIc 1202

( 1550 ) 4. ( 1550 )

humanissimis, sed proterviae ac libidini mancipati adolescentes irreparabile patriae  
damnum inferant. Videas, quos castigationis impatientes, Marti rebusque bel-  
licis desperatio consecrat, ut in cædibus rapinis, incendiis aliisq; dictu nefandis no-  
minis immortalitatem captantes citius vitam, quam nequissimam hanc mentem  
exuant. Videas, qui Patri libero litantes opes paternas in popinis abliguriunt, tunc  
sibi gratulantes, ubi Syracusanorum Babyloniorumq; more ad medium usque no-  
strem convivia protrahere concessum fuerit. Videas, qui Cythereæ, ut ita loquar sa-  
cri voluptate liquescunt & moribus subinde scortorum consuetudine effemina-  
tis ignobilem ac propudosam quam honestam vitam agere malunt. Quanta au-  
tem ex perversa hac filiorum sive educatione sive vivendi ratione in Deum ætatis  
primæ amantissimum redundet contumelia, quam funesta in utramq; remp. mala  
resultent, metacente, res ipsa loquitur. Impia vox est piisq; auribus indigna, quæ  
ubi deferbuissent libidines, solutioni huic vitae, nescio quem, ad frugem redeundi  
stimulum pollicetur. Egregia scilicet spes in ignavia, lascivia, ignorantia, vo-  
luptatum adsuetudine reliquisque honestatis pariter ac eruditiois hostibus acer-  
bissimis posita est. Quanto igitur satius erit ab incunabiliis suum Deo ter opti-  
mo maximo, quo decet modo & ritu obtulisse, ut exclusis tot vitiorum monstros  
universus Musarum chorus sedes quasi proprias & habitacula in animis non solum  
mollioribus inveniat, sed ætate quoque & educationis beneficiò confirmatis reti-  
neat. Sic enim futurum est, ut patriæ olim & ornamento & utilitati sint, quos  
Deo mature sacros pietas & religio voluit. Hoc ut eò commodius fieri queat,  
singulari Principum clementia Scholæ publicæ institutæ jam pridem fuerunt, quæ  
ad modum primitiarum adductos, Præceptorumque institutis limatos Deo tan-  
dem ac Reip. ceu gratitudinis & observantiae pignora redderent. Munere igi-  
tur tum demum defunctos credimus parentes, quando ad eorum exemplum suos  
officinis artium liberalium credunt, in quorum filiis probè erudiendis nostra ha-  
bitus desudavit diligentia, ut ab ætate prima tanquam primitiæ, Deo dicati ta-  
les aliquando evadant, quales sibi omnes boni semper exoptarunt. Id quod haud  
dubie de iis expectatum jam ante fuit, qui tanquam *ænegdivia* cætus nostri Scho-  
lastici, consensu Excell. Dn. Inspectoris dimittendi, altioribusq; Musis consecrandi  
erunt, sic tamen, ut priusquam rude donentur, orationibus, quas pro more a-  
pud nos recepto habendas elegerunt & pro captu elaborarunt, profectuum suo-  
rum specimina edentes Scholæ Patriæ valedicant. Primus quidem **HIERONY-  
MUS BURCKHARD** execrabitur *Superbiam*; alter **JACOBUS FLEMICH**  
caritatem in patriam commendabit, tertius **JOH. CASPAR LOZ** de avaritia;  
quartus **HENRICUS JOSIAS REINHARDI** de Musica; quintus **JO-  
HANN CASPAR Rüchler** de bello bodierno Gallico verba facturi sunt. Ut ve-  
ro tempori Auditorumq; patientiæ nos accommodemus, tres priores cras, Deo  
dante, hora consveta examini huic nostro Vernali dabunt initium, reliqui ve-  
ro duo eidem seqvente die Veneris recitatis orationibus felicem imponent Co-  
lophonem. Sua igitur ut hanc solennitatem Maximè Reverendus Dominus E-  
phorus, cum reliquis Scholæ nostræ literarumq; Fautoribus, præsentia dignari ve-  
lit, est quod ea, qua convenit animi submissione rogamus. P. P. Smalc.  
dic iv. Calend. Aprilis Anno M DC XCVI,



priscis temporibus fuerit existimatio,  
 a communem rerum sortem evecta  
 im tum sacrorum tum profanorum  
 ibus satis superq; exponunt. Easdem  
 o sibi Numine toties (*Exod. XXIII, 19.*  
*4, &c.*) vendicante, nefas inter Judæos  
 collocari, quorum alioquin studio-  
 s; in quibusdam saltem, sed omnibus  
 næ vitæ sustentationem facerent, re-  
 , quem *oblationis magnæ appellationem*  
 ex Maimon. *Schikard. in iure Regio p. 171.*  
 titatem non habuerit, infra tamen  
 & præceptionibus Doctorum supra  
 se gravissimis ipsius Dei constitutio-  
 tem, ut in causas hujusce ritus curio-  
 permittit, ita num peculiari & con-  
 punctionia debetur, penitus excu-  
 usas naturæ dotes aut per eximiam  
 m facilius feliciusq; indagant. Quod  
 es his ipsis quasi fulcris niti & conser-  
 dicis cultusque divini imperitissimus  
 primitiis inter homines gentiles Ion-  
 aria ejusdem notitia remotos adeò  
 onis, quam pietatis & religionis illic  
 Prisci Romani non gustabant vina aut novas fru-  
 quuit *Plin. lib. 18. c. 2.* Ad Numam Pom-  
 lexand. ab *Alexand. l. 3. Gen. c. 12.* quem  
 e, molamq; ex farre, sale & aqua compoñisse  
 hanc fuisse familiarissimam idem l.c.,  
 consueverant, sed illi quoq; qui primitias collige-  
 nis frugum primitias, noyum verò  
 ritè à sacrorum custodibus libatis  
 ius dignitatem haud parum arguit,  
 etissimas frugum primitias missita-  
 detracta primitiarum instar Marti  
 sacra voluerit, *Dempst. in Annotat. ad Rosin. Antiq. cap. 7. l. 3. Virg. lib. IX, 16,*

Ea